



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

48. Et crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

- peccatis absolui. Sed istud non magis solam fidem iustificatē probat, quā Scripturā citat, itemque illud, *Charitas operi multitudinem peccatorum*, solam legis observantiam, solam spem, solā charitatem peccatorum esse remedium & sola iustificare conuincunt. Pauli sententia nec ambigua nec obscura, sed luce meridiana clarior est, fidem, qua iustificamur, non esse solam fidem, quam hæretici hodie omnes non minùs obstinatè quā acriter propugnant; sed esse fidem quæ per dilectionem operatur, id est, non solum quæ habet dilectionem adiunctam, (per quam rimam euadere Calvinus putat) sed quæ per charitatem, beneficio & virtute charitatis (quæ maior est fide) iusticiam & salutem operatur; quam sine charitate nec operatur nec operari potest, sed planè ad salutem & omnem iustificationem inanis & mortua est, non secus quā corpus sine spiritu vitæ mortuum cadauer est.
1. Petr. 4.
Gal. 5.
1. Cor. 12.
Iac. 2.

48. *Et crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.*

Multa hinc congerit Calvinus partim vera, partim falsa, ut ex admixtis veris, quæ falsa sunt, & minùs aduertantur, & faciliùs ac probabiliùs lectoris animo insinuentur. Totam eius orationem utcumque prolixam quā fieri potest paucioribus expendam. Habet enim de electionis certitudine

tudine & fide speciali totius doctrinæ Calvinianæ summā veluti in vnum collectam. Notanda, inquit, est restrictio, quum refert Lucas credidisse non ad vnum omnes, sed qui ordinati erāt ad vitam. Vera quidem est hæc restrictio: sed veram eius causam non designat Calvinus, vt mox dicetur. Pergamus interim: Minime autem dubium est, quin Lucas ordinatos vocet, qui gratia Dei adoptione electi erant. Verissimum est & istud. Ridiculum enim (inquit) est cauilum, referre hoc ad credentium affectum, quasi Euangelium receperint qui animis rite dispositi erant. Hæc quidem Lucæ verba eò referre ridiculum est, qui de eorum, qui crediderunt, dispositione nihil hîc loquitur. Aliæ tamen Scripturæ eos Euangelium recipere, qui animis rite dispositi sunt, aperte docent, qualis in primis Cornelius erant, cuius orationes & eleemosynæ sic Deo acceptæ erant, vt earum intuitu ad fidem Euangelij vocaretur; quod nuper latè explicatum dedimus. Rursum Christus de hac animorum recta dispositione ad fidem Euangelij recipiendam clarissimè dixit: Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, cognoscat de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Rursum: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Vbi ex Deo esse, opponit Christus, ei quod est, ex patre Diabolo esse, & opera Diaboli facere; vt nec illud electionem nec istud reprobationem designet; sed illud eos notet qui Dei voluntatem faciunt, istud

Dispositio
recta ad re-
cipiendum
Euange-
lium re-
quiritur.
Act. 19.

Ioan. 7.

Ioan. 8.

eos aperte demonstret qui opera diaboli faciunt. Caterum nec Cornelij orationes & eleemosynæ, nec qui ante fidem Evangelij voluntatem Dei faciunt, vel sine speciali Dei gratia ita animis dispositi erant, nec ex eiusmodi dispositione veluti ex merito aut causa vocationis efficaci ad fidem Christi vocantur; sicuti circa Cornelij vocationem explicatum reliquimus. Quam etiam ob causam hanc rectam animorum dispositionem rarius Scriptura commemorat; Dei autem electio, & præordinatio gratuita, ut hic à Luca, & frequenter à Paulo, crebrius in doctrina Evangelica percensetur. Hoc necessario præiacto antidoto, pergamus nunc ad Caluini immixta paucis sanis venenata multa axiomata. *Nec dicit Lucas fuisse ad fidem ordinatos, sed ad vitam; quia Deus suos ad vitam æternam hereditatem prædestinat.* Verum quidem istud est: sed an negari potest, quod ad ipsam quoque fidem suos præordinat? dicente Paulo, *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & iustificavit, & glorificavit.* Tametsi igitur Lucas de solo ultimo prædestinationis effectu hic loquatur, verum tamē est alios quoque effectus prædestinationis esse, quos alia Scriptura describunt, ideo quē electos non solum ad vitam, sed etiam ad fidem fidei; bona opera prædestinari. *Docet autem hic locus (ait Calvinus) fidem non esse humanarum virtutum, sed ab electione Dei pendere.* Respondeo:
Fides

Rom. 8.

Prædesti-
nationis
effectus
nō solum
vita æter-
na, sed &
fides, fidei
que opera

Fides quidem non est humanarum virium,
quia Dei donum est; nec tamen ab electio-
ne Dei ita pender, vt fidei actum aut ipsa
electio conferat, (quū electio nihil in electo
ponat, sed ponendum præordinet) aut soli
electi producant: de quo mox plura. Sed
fides electorum sic ab electione pender, vt
quos ex proposito vocat Deus ad fidem, il-
lorum quidem fides ab æterno præordinata
ideoque infallibilis sit, non tamen in ipso
credere, nisi ex hypothesi necessaria, sed ab-
solutè libera: vtpote opus non solius gratiæ,
sed etiā liberi arbitrij, vt in alio huius ope-
ris loco contra Calvinū ostensum est. Qui-
bus ita explicatis; quæ sequuntur, facilius
expedientur. *Et certè (inquit) quum totum ho-*
minum genus cæcum sit & contumax, hærent in na-
tura nostra morbi isti, donec Spiritus gratia corri-
gantur. Correctio autem non nisi ex fonte electionis
fluit. Falsum hoc postremum, quia multi
corriguntur non electi ad vitam æternam: &
proxima ac propria correctionis causa est
non ipsa electio æterna, sed gratia in tem-
pore data. Probare tamen vult quod dicit.
Nam (inquit) quod ex duobus qui promiscuè ean-
dem doctrinam audiunt, alter docilem se præbet, alter
perstat in sua malitia, non ideo fit quod natura dif-
ferant, sed quia priorem illuminat Deus, alterum
pars gratia non dignatur. Aduerte quod probare
volens correctionem naturæ ex fonte ele-
ctionis fluere, non de electione æterna, sed

Electoris
fides quo
modo ab
electione
pender.

Ad Ioan.
cap. 1. v. 12.

Naturæ
correctio
ex fonte
electionis
non fluit.

de gratia illuminante in tempore data disputat. Ita quod prius dixit, hac subiuncta ratione neutiquam probauit. Discrimen

Gratiae pa-
ritas cum
effectu
impari.

verò quod ponit à parte gratiae verum est, si parem gratiam intelligamus: videl. non ipsos praëuenientis gratiae motus in se pares, sed eorum parem congruitatem. Pari enim gratia quoad ipsos motus in se quidam excitati conuertuntur, quidam non, quod de Tyrijs & Sydonijs futurum fuisse pronunciat Saluator, sic eosdem gratiae motus sensissent quos Capharnaïta & Bethsaidita senserant. Nempe quia ad illorum conuersionem congrua media fuissent, quae istis tamen si sufficientia, non tamen cōgrua erant, ideoque inefficacia. Deinde, sicut hīc discrimen ponitur à parte gratiae, sic etiam verum discrimen poni potest à parte liberi arbitrij à gratia praëueniente moti, excitati, adiuti: quale ponit Augustinus inter duos aequaliter per omnia affectos & tenta. os; quorum alter conspecta muliere castitatem seruat, alter non seruat.

De ciuit.
De lib. 12
cap. 12.

Pergamus cum Caluino. *Fide quidem* (inquit) *efficiuntur filij Dei; & fides, quantum ad nos spectat, salutis est ianua & principium: sed altior est Dei respectus. Neque eligere nos incipit ex quo credimus, sed adoptionem suam, quae occulta erat, fidei dono obsignat in cordibus nostris, ut manifesta & rata sit.* Hic iam apertius se prodit venenata Caluini mysteria. Deus quidem eligere nos non

non incipit ex quo credimus, quia quos eligi-
git, ab aeterno elegit, sed in ipsa sua electione
non nisi in ipsum credituros ad vitam aeter-
nam elegit, fidemque in Christum cum re-
liquis fidei operibus vitae aeternae consequen-
da media fore praevidit; & sicuti praevidit,
praeordinavit. Ita fons fidei aliarumque
virtutum in electis non ipsa electio ad glo-
riam est, sed ipsa huiusmodi virtutum cum
doctrinae gratiae adiutorio operatio libera,
ab ipso Deo (secundum nostrum modum
intelligendi) prius praevisa quam praeordi-
nata: nam ipsam praeordinationem seu prae-
destinationem necessario praecedit prae-
scientia; non quidem ut alterius causa
aliqua, (facta enim omnium bonorum
operationum, mediante eius gratia si dare-
tur, praeuisione, potuit libere & iuste gra-
tiae suae auxilia non praedestinare) sed quia
praescientia quum sit actus intelligentiae
diuinæ necessarius, praedestinatio verò &
electio actus liber, ille hunc necessario praec-
edere à nobis intelligitur: & licet prius ac
posterius in actionibus diuinis non est, or-
do tamen est.

Prædesti-
nationem
praecedit
praescien-
tia.

Sed magis venenatum est quod sequitur.
*Adoptionem (inquit) suam Deus quæ occulta erat,
fidei dono obsignat in cordibus nostris, ut manifesta
& rata sit.* Certitudinis gratiae & electionis
cuiusque in particulari quam sibi finxerunt
Caluinistae, hac una sententia radix & fun-
damentum.

Electio-
nis cer-
titudi-
ne euer-
tur.

1. Tim. 1.
19.

In Ioan-
cap. 15. v.
2. & 9. &
cap. 20.
vers. 28.
Suprà
Act. 8.
vcr. 13.

Heb. 6.

dametum est. Atqui ab omni veritate alie-
nam illam esse, hoc vno argumento inuictè
demonstratur, quia multi fidei donum ac-
ceperunt qui reprobì fuerunt, non electi;
videl. *nausfragantes à fide*, vt Paulus loquitur.
Donum igitur fidei quum sit reprobis &
electis commune, Dei adoptionem in cor-
dibus credentium obsignare, vt manifesta
ac rata sit, id est, vt omnes credentes se esse
electos manifestè cognoscant, nullo modo
fides potest. Falsum quippe in valde multis
& fallax signaculum esset. Ponit quidem
Calvinus, vt consequenter loquatur, vnicam
electorum fidem, & negat reprobos vera fi-
de credere vel credidisse. Sed hoc portento-
sum eius paradoxum, vt alibi sæpe in Anti-
dotis hīsce nostris, sic & suprà in exemplo
Simonis magi validè refutatū reliquimus.
In alijs quoque diuinarum Scripturarum
locis illam refutandi occasio dabitur. Hoc
igitur eius axioma euerso, cætera quæ se-
quuntur sua sponte corruunt. *Non mirum
igitur (inquit) si non omnes promiscuè Euangelium
recipiant; quia tametsi externa hominis voce omnes
ad fidem moueat Deus, non tamen efficaciter vocat
per Spiritum suum, nisi quos seruare decreuit.* To-
tum hoc falsum apparet, quia multi etiam
efficaciter per Spiritum Dei vocantur, &
electionis gratia participes fiunt, quos fina-
liter tamen seruare Deus non decreuit: qui
(vt Paulus loquitur,) *postquam semel illuminati
sunt,*

sunt, & gustauerunt donum caeleste, & participes facti sunt Spiritus S. prolapsi tamen sunt, &c. Pergit Calvinus: Iam si fidei & salutis causa est Dei electio qua nos ad vitam ordinat, nihil dignitati & meritis residuum fit. Cui respondeo: Si fidei & salutis causa non est sola Dei electio qua nos ad vitam ordinat, sed fidei quidem causa Dei gratia gratuita, cui tamen homo cooperetur; salutis verò causa ipsa opera fidei ac iustitiæ ex Dei gratia & hominis libera voluntate promanantia: profectò dignitati & meritis iustorum multum residuum est, videlicet *merces vitæ æternæ, & corona iustitiæ, quam reddit illis iustus Index.* Nunc conclusionem audiamus. Teneamus ergo (ait Calvinus) quod dicit Lucas, prius ordinatos fuisse ad vitam, qui fide insinuat in Christi corpus, arrham & pignus adoptionis suæ in eo recipiunt. Tenendum sanè quod dicit Lucas, illos credentes, de quibus hinc loquitur, præordinatos ad vitam fuisse. Sed non dicit Lucas omnes credentes præordinari ad vitam, quod ex eo colligit Calvinus. Non dicit fidem esse arrham & pignus adoptionis quæ ad solos electos pertinet, quod vult Calvinus. Sed neque quod de illis tunc ex Pauli prædicatione credentibus Lucas dicit, præordinatos illos fuisse ad vitam æternam, necesse est intelligere vel ex certa revelatione Lucam hoc dixisse, illos omnes in particulari de numero prædestinatorum fuisse, sed hoc ab eo quasi cōiecturaliter vel expia

Impostura
Caluini
& collect.
fallaces.

ex pia charitate & confidentia dictum esse,
 Philipp. 6. (sicut Paulus ad suos Philipenses dixit:
Certus sum, id est, bene confido, *quod qui cepit*
in vobis bonum opus, *perficiet usque ad diem Chri-*
sti;) vel nullos alios credidisse quàm qui ad
 vitam præordinati erant; sed hoc à Luca
 adiectum fuisse tanquam argumētum pro-
 babile præordinationis ad vitā, quum tam
 pauci essent qui Paulo crederent, & fidem
 Christi tanta auiditate & zelo in tanta con-
 tradicentium multitudine profiterentur.
 Sanè sicut Lucas non nisi vnum posuit præ-
 destinationis effectum, fidem scilicet, seu
 vocationem ad fidem, reliquos effectus
 tacens, quia ille quasi primus est præde-
 stinationis effectus; sic illos potissimùm
 credentes commemorat quos ex magnitu-
 dine fidei præordinatos ad vitam esse appa-
 rebat, quasi magis illustres Paulinæ prædi-
 cationis effectus, alios tacēs qui crediderunt
 quoque, sed præordinationis ad vitam tam
 illustria signa & testimonia non habebant.
 Cæterùm quicquid hac de re sit, non dixit
 Lucas omnes credentes ad vitam præordi-
 nari, vel nullos alios credere quàm qui ad
 vitam præordinantur, quæ ex eius verbis
 perperam Calvinus colligit.

Pergamus adhuc cum Caluino: *Vnde etiam*
colligimus quid per se valeat Euangelij prædicatio.
Neque enim fidem in hominibus reperit, nisi quia
Deus, quos elegit, intus vocat, & qui prius sui erant,
 ad

ad Christum trahit. Vera hæc consequentia esset; si non alios credere Lucas dixisset quàm qui ad vitam præordinantur. Nunc quia id non dixit, sed illos tantum credentes, de quibus loquitur, ad vitam præordinatos fuisse scripsit, consequentia nullam vim habet, nulla veritate subsistit. Euangelij sanè prædicatio adhuc incredulis facta, ut hoc loco, fidem in hominibus non reperit, sed generat; non quia semper electi sunt qui intus edocti credunt, sed quia non foris tantum externa prædicatoris voce, verum & interna diuini Spiritus operatione docetur, siue reprobi sint, fidemque finaliter amissuri, siue electi sint, & finaliter perseveraturi. *Isdem verbis (ait Calvinus) simul docet Lucas, fieri non posse ut quisquam ex electis pereat. Dicit enim credidisse non unum vel paucos electos, sed quotquot electi erant. Est quidem verissimum nullum ex electis perire posse; sed quum Lucas non nisi de illis paucis loquatur qui ad primam Pauli prædicationem crediderunt, id ex Lucæ verbis colligi non potest. Sequitur in Caluino: Quamuis enim nobis ignota sit Dei adoptio vsquedum eam fide percipimus; in arcano tamen eius consilio dubia vel suspensa non est: quia omnes, quos pro suis habet, filij sui præsidio tutelaque se commendat, qui in finem vsque fidelis manebit custos. Verumque membrum cognitu necessarium est. Totà hæc oratio vera est, eo membro excepto, vsque dum eam fide percipimus.*

Neque

Electio in
hac vita
incognita

Ad Ioan.
cap. 16.
ver. 28.
* De cor.
rept. &
grat. c. 13.

Fidei elo-
gia iuxta
Caluinu.

Neque enim adoptionem Dei æternam, & ex electione profectam, fide percepimus, quasi, quicumque credit, is statim ex numero electorum sit; sed quãdiu in hac vita peregrinamur, omnibus credentibus ignota est sua electio & prædestinatio ad vitam, nisi specialiter à Deo cuiquam reueletur. Quod olim ex* Augustino, qui & huius ignorantia saluberrimam causam reddit, ostendimus. Pergit Calvinus: *Quum electio fide superior statuatur, non est quòd sibi quicquam in vlla salutis sue parte homines arrogant.* Quomodo electio sit fide superior, & quòd ab electione sola, fides non pendeat, ideoque præter electionem tam fides quàm fidei opera salutis nostræ causa sunt, in præcedentibus explicatum est, simulque ostensum, multum esse ex parte ipsorum hominum quod ad salutem cõferat, quatenus diuinæ gratiæ tam in credendo quàm in rectè operando cooperantes, suæ salutis cooperatores homines sunt. Videamus tamen quæ sequuntur. Nam si fides (ait Calvinus) in qua consistit salus, quæ nobis gratuita Dei adoptionis restis est, quæ nos Christo coniungit, & vitam eius facit nostram, qua Deum cum sua iustitia possidemus, qua denique recipimus sanctificationis gratiam, extra nos fundata est in æterno Dei consilio, quicquid habemus bonorum, gratiæ Dei, quæ nos vltro præuenit, acceptum ferre necesse est. Respondeo: Si fides, quicquid & quantumcumque de illa prædicetur, non est

est extra nos fundata in solo aeterno Dei consilio, sed est opus nostrum qui credimus, qui excitanti ad fidem Deo liberè consentimus & cooperamur: profectò tam fides ipsa quam opera fidei, solius quidem gratia Dei dona sunt (quatenus gratia Dei præuenit, & prior nos excitat,) sed quatenus à gratia excitati & adiuti eidem liberè cooperamur, non solum Dei dona, sed & opera nostra sunt, nosque salutem nostram cooperamur, unde & gloriari licet, sed in Domino, quia potestas in homine est credendi, & voluntatem suam in melius mutandi; sed hæc potestas nulla esset, nisi à Deo data esset. Quæ omnia nuper explicata reliquimus. Iam quæ Cal-
Eadem Scripturis repugnā-
tia.
tūtinus hīc de fide deprædicat, pleraque falsa sunt, & diuinis Scripturis aduersantia. *In qua* (inquit) *consistit salus*. Nec in sola fide consistit salus, nec aliter in fide quam veluti in principio & fundamento. *Quæ nobis*, inquit,
1.
gratuitæ adoptionis testis est. Non est sola fides
2.
gratuitæ adoptionis testis, sed multo magis ipsa charitas diffusa in cordibus nostris, secundum quā propriè Spiritū adoptionis accepimus, & non spiritum seruitutis in timore. Fides quoque per
Fides quo modo testis gratiæ adoptionis Rom. 5. Rom. 8.
charitatem operans non est testis adoptionis in sensu Caluini, id est, electionis æternæ, sed est testis præsentis adoptionis temporalis, & inuium substantiæ Christi (vt Paulus lo-
Heb. 3.
quitur) quod si ad finem vsque firmiter tenemus, participes Christi erimus in gloria, sicut nunc sumus

fumus in gratia. *Quæ nos (inquit) Christo con-*
ungit. Verum hoc sanè quatenus coniun-
 ctionis principiū est; sed coniunctionis per-
 fectionis charitas est, iuxta illud Ioannis: *Qui*
manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.
 Quod Christus luculentius expressit: *Si quis*
diliget me, sermonem meum seruabit, & Pater meus
diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem
apud eum faciemus. *Quæ (inquit) vitā Christi fa-*
cit nostram. Nulla Scriptura sic loquitur:
 prophana est vocum nouitas. Nec fides nec
 charitas vitam Christi facit nostram; sed per
 fidem & charitatem nos in Christo viuim-
 us, & vita nostra spiritualis ex spiritu
 Christi viuit, quatenus dona gratiarum ex
 sua plenitudine Christus nobis cōmunicat.
 Sed vita Christi & plenitudo vitæ in Chri-
 sto soli Christo propria est, *qui non ad mensu-*
ram accepit Spiritum: nobis autem *secundum*
mensuram donationis Christi diuisit Deus. Hæ-
 retici hodie in se ipsis gratiarum nihil, quic-
 quid tamen in Christo est, habere volunt:
 in altero ingrati & mendaces, in altero præ-
 sumptuosi & audaces. Ingrati sunt Deo, &
 mendacem Deum faciunt, *qui non credunt* Deo in
 Scripturis loquenti, *Effundam de Spiritu meo*
super omnem carnem; Diffusa est charitas in cordi-
bus nostris; Spiritū S. effudit in nos abunde; Pleni
estis dilectione: & alia innumera. Præsumunt
 verò, quicquid Christus in se plenitudinis
 habuit, id suū esse, id illis imputari, id ad fi-
 dei

Fides quo
 modo con
 iungit nos
 Christo.
 1. Ioan. 4.

Ioan. 14.

4.

Christi vi-
 ta non fit
 per fidem
 nostra.

Ioan. 3.

Ephes. 4.

Hæretici
 hodie in-
 grati &
 audaces.

1. Ioan. 3.

34.

Esai. 44. 3

Ioel. 2. 28.

Rom. 5. 5.

Tit. 3. 6.

Rom. 15.

14.

dei suæ commentitiæ mandatum esse. Sic seipfos miserè & alios nequiter decipiunt. Eiusdè farina est quod sequitur: *Qua Deum* 5.
eam sua iustitia possidemus. Nefarij homines Math. 6.
 iubentur *querere regnum Dei, & iustitiam eius.* 33.
 Iubentur *in timore & tremore suam salutem ope-* Philip. 2.
rari. Iubentur *servire Deo in sanctitate & in-* 12.
licitia coram ipso omnibus diebus vitæ suæ. Luc. 1. Illi
 contrà respondent: Non est nobis hic la- Heretici
 bor necessarius. Te ipsum cum tua iustitia hodie
 sola fide possidemus. Credimus te totum Christo
 nostrum esse. Saluares est. An hoc homi- contradi-
 num genere quicquam aut contra Deum cunt.
 magis rebelle, aut importunius aut magis
 nefarium est? vnum adhuc fidei elogium
 addit Calvinus. *Qua denique (inquit) recipimus*
sanctificationis gratiam. Quæ hoc Scriptura doc- 6.
 cet? Aut quid hæc verborum novitas sibi
 vult? Sanctificationis gratiam à remissione Sanctifi-
 peccatorum distinguere, & alteram iustifi- cationis
 cationis nostræ partem constituere solet Cal- gratia fide
 uinus, vt in epist. ad Rom. videbimus; eam- non reci-
 que definire, *novam Spiritus regenerationem, si-* pitur.
ue novam in Christo creaturam. Age igitur.
 An hanc sola fide recipimus? An hanc sola
 fides constituit? An vt homo Spiritu rege-
 naretur, vt noua fiat creatura in Christo,
 sola fides facit? Sanctificationis gratia, siue
 noua creatura in Christo, nihil aliud iuxta
 Paulum est, quam *in nouitate vitæ ambulare,* Rom. 6.
vltrà nō seruire peccato, mortuos quidem esse pecca- v. 4. 6. 11.
to, vt 12. 13. 19.

S

to, vt

to, ut non regnet in mortali corpore nostro ad obediendum concupiscentijs eius, exhibere nos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra nostra arma iustitiæ Deo: denique exhibere membra nostra servire iustitiæ in sanctificationem. Hæc est iuxta Paulū sanctificationis nostræ gratia. Quid? An hoc totum vna fide recipimus? An quicumque credit in Christum, ille sanctificationis gratiam recepit? Ille totus (quantum ad salutem necesse est) sanctus & sanctificatus est? Planè iuxta Caluinum ita se res habet. Mysterium enim doctrinæ eius est, nos sanctificari in Christo & per Christum, non quatenus aliqua in nobis affectuum renouatio & sanctificatio inheret, sed quatenus sanctificationem omnem, quæ in Christo erat, nobis imputatam fide recipimus. Quare (inquit) fide iustificamur? Quia fide apprehendimus Christi iustitiā, qua vna Deo reconciliamur. Hanc verò apprehendere non possis, quin & sanctificationem simul apprehendas. Nullum ergo Christus iustificat, quem non simul sanctificat. Sic in Christi participatione, qua iustificamur, non minùs sanctificatio continetur quàm iustitia. Tenemus iam Caluini sensum. Sanctificationis gratiam vna fide recipimus, quia sanctificationem, quæ in Christo erat, vna fide apprehendimus. Sicuti iustitia Christi nobis imputata remittuntur peccata, ut reconciliemur Deo, sic sanctificatione Christi nobis imputata sanctificamur coram

Sanctifi-
camur
imputati-
onē iuxta
Caluinū.

Institut.
lib. 3. c. 16
num. 1.

ram Deo. Vtramque autem fide recipimus, quia vtramque fide apprehendimus. Ita nihil pensi habuit Caluinus, quid de sanctificatione nostra Paulus scripsit. Reiecta Pauli doctrina, quod *seruimus iustitie in sanctificationem*; sui cerebri commentum obtrudit, quod Christi sanctitatem fide apprehendimus in sanctificationem. Sed neminem Christianum tam dementem arbitror, qui nefarium Caluini figmentum Apostolicæ doctrinæ anteponat. Tot ille modis in præpostera fidei prædicatione contra sanæ fidei doctrinam peccauit.

Audiamus reliqua. *Rursum* (inquit) *quia multi perplexis ac spinosis imaginationibus se implicant, dum salutem suam in abdito fidei consilio scrutantur, discamus ideo fide approbati Dei electionem, ut se mentes nostræ ad Christum conuertant, tanquam electionis arrham; nec aliam certitudinē querant, quam quæ nobis in Euangelio patefacta est. Sufficiat (inquam) nobis hoc sigillum, quod quisquis credit in Filium Dei unigenitum, vitam æternam habet, Ioan. 3. 39.* Hæc hætenus Caluinus. Sigillum secreti sui nobis aperuit. Vt omnis dubitatio, omnis perplexa & spinosa imaginatio de salutis certitudine remoueatur, ut unusquisque se de numero electorum esse certissimè credat, hoc vnum sufficit, quod iam in Christum credit, quod fide donatus est. Et quare rem tantam, tam arduam, tam

Prædeterminationis
Caluinianæ sigillum, semel credere.

Joan. 3.

sublimem, à qua vna tota hominis aeterna
 salus pendeat, ex vna & sola fide in Chri-
 stum certissimè & infallibiliter pendere do-
 cet tam confidenter Calvinus? *Quia*, inquit,
sufficere nobis debet hoc sigillum, hæc arrha, hæc
obsignatio, hæc certa promissio & reuelatio,
 qua dixit Ioannes Baptista: *Qui credit in Filium*
Dei, habet vitam aeternam. Ego credo in Filium;
 ergo habeo vitam aeternam. Hæc, Caluine,
 hoc vnum nobis sufficit sigillum, vt de ele-
 ctione nostra ad salutem infallibiliter certi
 ac securi simus? Quàm tu nobis facilem, pla-
 nam, ac compendiosam ad cælum viam pa-
 ras? Quid enim facilius, quàm credere in Fi-
 lium Dei? Aut quis Christianus, fidei suæ
 symbolum ex animo & firmiter tenens, non
 credit in Iesum Christum Filium Dei vni-
 genitum? Si hoc vnum sufficit sigillum, vt
 quid alia vel credimus, vel facimus, vel que-
 rimus, vel inuestigamus, vt salui simus? Te
 igitur auctore, reliqua abijciantur omnia;
 valeant Sacramenta; ablegantur ad alios
 populos Dei mandata; tota vita nouitas de-
 spiciatur; Dei cultus siue externus siue in-
 ternus negligatur; tota reliqua doctrina
 conticescat; hoc vnum sigillum teneamus
 fortiter: Credo in filium Dei; ergo habeo
 vitam aeternam. Quod si verò illa verba, *Qui*
credit in Filium Dei, habet vitam aeternam, nec
 alijs fidei articulis tot ac tantis necessariò
 creden-

credendis, nec ipsis diuinis Scripturis agnoscendis, nec Sacramentis religionis nostræ retinendis, nec cultui diuino, nec vitæ nouitati aut mandatorum Dei obseruationi præiudicant, sed ad vitam æternam consequendam tam alia præterea multa & credenda, & retinenda, & facienda, Scriptura nos docet; qua temeritate & impietate, illa vna sententia, veluti totius salutis nostræ sigillum ad salutem sufficiens, ab impio & audaci isto hæretico, quem hodie tam multi sequuntur, affirmatur? Cur non potius commodi aliquem & reliquis Scripturis cōuenientē sensum piè & humiliter amplectimur? Nempe, qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam, sicuti non in re, sed in spe (gloriamur enim in spe gloriæ filiorum Dei, & heredes sumus secundum speciem vitæ æternæ) sic non in toto, sed ex parte, quia ad eam adipiscendam vnum titulum ac primum gradum habet: nisi malis illo verbo, *Qui credit in Filium*, ipsam fidei perfectionem, fidē videlicet charitate formatam intelligere. Ceterum hæc verba apud ipsum Ioannem latius tractauimus; sicut & alia his similia: *Qui credit in eum, nō indicatur*. Vtrobique Caluini impietate iugulauimus. Vide etiā quæ ad similia Christi verba Ioan. 3. latius disputauimus in Prompt. Cathol. in fer. 2. Pentecostes. Sicut hoc in loco solito prolixior & accuratior Caluinus fuit, totum

Rom. 5.

Tit. 3.

In Antidotis Eoꝝ
gel. ad Ioan. c. 3. v.
18. & 16.

tum quasi suum venenum circa specialis fidei & electionis certitudinem in vna pagella effundens, ita eius omnia vestigia persequi, & singulis toxicis sua antidota apponere, operæ pretium duxi.

CAP. XIII.

12. *Sacerdos Iouis, qui erat ante ciuitatem, taurorum & coronas ante ianuas offerens, cum populis volebat sacrificare.* 13. *Quod vbi audierunt Apostoli, Paulus & Barnabas, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes:* 14. *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.*

EXVL CERATISSIMUM in Caluini pectore maleuolentiæ vlcus ad quemlibet contactum in saniem erumpit: imò & leui quouis aspectu aut specie potius atque apparètia leuissima motum, à verbis maleuolis, virulentis, fœtidisque calumnijs temperare sibi non potest. Crassissimam hoc loco Lystrensiū idololatriam, qua Barnabæ & Paulo veluti Dijs de cœlo dilapsis cum tauris & coronis sacrificare volebant, ad venerationem Sanctorū in Ecclesia Catholica perpetua religione obseruatam homo impius obtorto collo detorquet. At quo tandem modo? Ex illa Barnabæ